



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXII. Gregorii Papae I. Ad Constantivm Episcopvm
Mediolanensem. Vt Venantio episcopo Lunensi concurrat ad religiosos
emendandos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ritate damnauit. In his ergo omnibus ita te volumus solerter impendi, vt nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CONSTANTIVM EPISCOPVM MEDIOLANENSEM.

Vt Venantio episcopo Lunensi concurrat ad
religiosos emendandos.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

QVORVM DAM de Lunensium venientium partibus ad nos relatione peruenit, religiosos locorum ipsorum ita ab ecclesiasticæ disciplinæ tramite deuiaſſe, vt nullatenus in suis moribus actionibusque canonicae dispositionis statuta respiciant. Quæ quia erant & examinanda subtilius, & seuerius vlciscenda; præsentium latorem Venantium fratrem & coepiscopum nostrum, vt instanter emendarentur admonui. Sed pro magnitudine inquietudinis excedentium personarum, solum se non iudicauit in huiusmodi inquisitione sufficere: ideoque postulauit a nobis, vt in eodem examinando negotio fraternitatis tuæ ei adiiceretur auctoritatis auxilium. Quamquam igitur fraterna dilectio hoc a te & sine nostris scriptis debeat exigere, tamen præsentibus quoque vos specialiter epistolis adhortamur, vt adhibito vobis prædicto fratre nostro, cunctos clericos ceterosque religiosos prænominatae ciuitatis & territorii eius de excessibus, quorum aliquid est suspicionis, ad te venire compellas, atque cuncta secundum Deum propter futuri metum iudicii subtiliter inquirentes, si quem a Canonum statutis recessisse reperitis, canonica eum vltione corrigite. Nec patiamini in locis vestris eos qui non gerunt in moribus quod ostendunt in habitu, per abrupta diutius euagari. Quos oportet & ad rectitudinis normam pastorali vos circumspectione reducere. Ita ergo fraternitas tua, cunctis solertijs indagatis, quæ nobis in talibus nuntiata sunt corrigat, ordinet, atque in futurum sospire festinet, vt & animæ tuæ proficiat, si tui causas vigilanter atque viuaciter perscrutaris officii, &

nostrum minime frustrari permittas, quod semper de tuae
maturitatis habuimus distictione iudicium.

EPISTOLA XXIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD NOBILES SARDINIÆ INSVLÆ.

Vt diligenter inuigilent rusticos a cultu idolorum
auertere.

*Gregorius nobilibus ac posseſoribus in Sardinia insula
conſtentibus.*

FATRIS & coepiscopi mei Felicis, & filii mei Cyriaci
serui Dei relatione cognoui, pene omnes vestros ru-
sticos in vestris possessionibus idololatriæ deditos haberi.
Et valde hac de re contristatus sum, quia scio quod sub-
iectorum culpa præpositorum deprimit vitam, & cum in
subiecto peccatum non corrigitur, in eos qui præfunt sen-
tentia retorquetur. Vnde, magnifici filii, exhortor, vt om-
ni cura omniq[ue] solicitudine animarum vestiarum ze-
lum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo
de subiectis vestris reddituri estis, aspicite. Ad hoc quippe
vobis illi commissi sunt, quatenus & ipsi vestrae vtilitati
valeant ad terrena seruire, & vos per vestram prouiden-
tiam eorum animabus ea quæ sunt aeterna prospicere. Si
igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis
quod debetis? id est, vt assidue illos magnitudo vestra
commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus,
eis ad fidem ductis, omnipotentem Dominum erga se pla-
cabilem faciat. Ecce enim mundum hunc quia vicinus fi-
nis urget aspicias; quod modo humanus in nos, modo diui-
nus sequiat gladius videtis; & tamen vos veri Dei cultores
a commissis vobis lapides adorari conspicias, & tacetis?
Quid, quæſo, in tremendo iudicio dicturi estis, quando
hostes Dei & sub potestate vestra suscepistis, & tamen eos
Deo subdere, atque ad eum reuocare contemnitis? Vnde
debitum salutationis alloquium soluens peto, vt magnitu-
do vestra attendere erga zelum Dei vehementer inuigi-
let, & quis quantos ad Christum perduxerit suis mihi epi-
stolis indicare festinet. Quod ergo vos agere ex aliqua oc-
casione forsitan minime valetis, prædicto fratri & coepi-

Z z iii